Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Croacus Elisii Calentii Amphraten. De bello Ranarum. In quo Adolescens iocatus est

Calenzio, Eliseo

Argentorate, 1511

VD16 C 220

urn:nbn:de:bsz:31-290342

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

K. G.

(51)

42 A 1932,13 RH

PPZ

Landesbibliothek Karlsruhe

AN 789
AN 790
AN 791
AN 792
AN 793
AN 794
AN 795

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# CROACVS ELISII CALENTII AMPHRATEN. DE BELLO RANARVM.

In quo Adoleſcens iocatus eſt.

LECTOR EME, LEGE, ET PROBABIS

6.

(1511)

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# CROACVS CALENTIVS LVTIO FILIO SALVTEM.

dVM luſtrum Perago in pelignis Naonis patriam veneratus, apud Colotiũ meum, inter negocia plurima interdum noctu ad literas inuitor. Et cum libellos alios non habeam, quos lectitẽ, mea carmina relego, quæ mihi quondã iuueni placuere. Et in primis elegias illas, quas ad Orinthiam adoleſcens ſcripſi, ob negocia alia iam diu deſertas, atq; inemendatas repeto. Cum his Croacũ libellũ, quem primum omniũ ea ætate ediderã, comperi Homerꝝ imitatus. cuius fabellam ſemel, curſimq; legeram, eius argumenti memor, cũ exemplar negaretur, opus denuo ſcribere adortus ſum nouis ꝟſibus, quod ſeptem diebus abſolui. Tanta mihi, tum eius rei vis materiæ ſuppetebat, ut non fabulam edere, ſed editã ſcribere viſus ſim, quaſi eo prœlio affuiſſem. lõge quidem plura his adijciẽs e meis iocis. Illum ego inter iuuenilia fragmẽta comptum legi, ridens, ac tranſcribi iuſſi, pro tempe emendatũ, quem ad te mitto, ut puer interdũ lectites, quẽ ego non multo maioris ætatis annos, ſcilicet duo de viginti natus ædidiſſem, & te a minutarũ ferarꝝ prę lijs ad heroum, ducũq; geſta facilius cõferas. Vale.

# ELISII CALENTII AMPHRATEN. DE BELLO RANARVM, CRO ACVS LIBELLVS INCIPIT.

d

DICITE Dij nemoꝝ, quę prima iniuria ranas?
Quiſue furor tumidos in triſtia funera mures
Impulit, hinc acies Rodilardi, hīc arma Croaci
Non audita prius geminoꝝ prœlia Regum
Da mihi te facilem, primoq; ignoſce labori
Terpſicore, mecumq; duces, & triſtia bella
Proſequere, exiguo ni te pudet æquore remos
Flectere, quo magnus iam dudū flexit Homerus.
Ille deos quondam ſolitus pupeſq; Pelaſgas,
Troianaſq; acies canere, & mauortia tæla,
Interdum vacuus diuino carmine luſit,
Summiſitq; liram, & ranarum prœlia dixit.
Non humile eſt igitur quicq̄d cantarat Homerus,
Nec te pœniteat mecum mea muſa iocari.
Olim equidem ſi fata ſinant, ſi aſpiret Apollo
Non paulum grauiora canam, tecumq; labores
Auſonios, forteſq; duces, vrbeſq; ſuperbas
Expediam, domitaſq; nouo ſub Cæſare gentes,
Interea patiare iocos, populumq; natantem,
Montanaſq; acies in prœlia læta vocari.

Incipio, tu me ſequere, & veſtigia firma.
Stagnum erat in medio nemorũ, iuxtaq; virẽtes
Riuulus exigua ſalices nutriuerat vnda.
Hic ranis ſtatio lætiſſima, ſiue calenti
Sole ſub arboribus, vnda ſeu frigore ripa
Congruere ad radios malint, ſeu nare per vndas.
Illic innumeræ gentes, & docta iuuentus
Nare lacu, celeriq; vadis contendere curſu,
Et noctem querulo labentem fallere cantu.
At mandata dabat populis, & iura Croacus
Maxima ranarum, cui primo in flore iuuentæ
Plurima congruerat cum regno gloria formæ.
Gaudebatq; lacu, & ranarum ſceptra tenebat.
Et iam tempus erat, quo Cinthius auge relicta
Inſtaurare faces, propiuſq; accedere terris
Cœperit oblitus percurrere ſegnius orbem.
Cum (puer infœlix) curſu fatigatus & æſtu
Muſoleardus hians, & faucibus arida ſiccis
Ora ferens, vitreas ibat poturus ad vndas.
Vix ſitiens prima veſtigia fixit arena,
Porrexitq; ad aquas rictus, hauſitq; liquorem,
Cum ſubito emicuit, ſummoq; in gurgite ſedit
Rana loquax, raucaq; illic ſic voce locuta eſt.
Quo ruis imprudens? quæue hæc audacia fœdo

Ranarumq; duces Foracus, viridiſq; Corodus,
Et Tuſcus Fiaronicus, & Vulturnius Arches.
At nemorum rex ille furens in bella Croacum
Prouocat, illum illũ quæritq;, optatq; ſuperbus.
Quem poſtq; aſpexit, mediumq; agnouit in armis
Perfide clamauit, tu pignora noſtra fatigas?
Tu miſerũ liquidis Oleardum ꝑdis in vndis?
Nec ſuperos, nec bella timẽs? Rodilardiaq; arma?
Verum hodie noſtros moriens ſolabere luctus,
Et meritam ſceleris pœnam dabis improbe, dixit.
Inſiluitq; ferox elato pectore in hoſtem.
Ille autem obducta venientem reppulit haſta,
Turbauitq; viam, & ſeſe medio obtulit agro
Atq; ait hæc. etiam tu noſtri gurgitis audax
Veniſti ad latices bellum moturus? at ille
Niſſus erat, quem tu faris, te patre creatum
Eripere imperiũ ranarum, & ſtagna putauit
Noſtra metu parere. iacet modo victus in vndis.
Et didicit quales veniant in prœlia ranę.
Tu quoq; nunc ſtigias natũ comitabere ad vndas.
Dixit. & elato contorſit tæla lacerto
In murem citus ille leui venientia ſaltu
Præterit, & luteæ dorſo cecidere lucernæ.

Quem poſtq̃ clipeum timidi legere clientes,
Et texere humeros, atq; inſeruere ſiniſtræ.
Talibus alloquitur mures Rodilardus amicos,
O ſocij nunc q̃ tales in prœlia ranas
Audieram, torquet dextra fera tæla Croacus
Nunc opus auxilio eſt veſtras intēdite vires.
Hic iactare leues haſtas, hic fortia tæla
Dirigite in tumidos hoſtes, enſeſq; ciete
Nam ſi nunc tenui pugnæ, populoq; natanti
Cedimus, & victi mures remeamus ad agros,
Et ſiluas & agros habitabunt, & iuga ranæ.
Dixerat, vna omnes elato pectore mures
Proſiliunt, cędemq; nouant, & vulnera miſcent.
Eminet infœlix bello rex rana Croacus,
Nunc clipeum tælis obiectat, nunc ferit haſta,
Vulnera dat, recipitq; vices, Martēq; laceſſit.
Qualis aper media crebro quem vulnere ſilua
Obſedere canes, acq; vndiq; morſibus inſtant,
Ille modo a dextra curuo ſe dente tuetur,
Nunc agit in leuam ſtridentia faucibus arma,
Nulla timens iacula, aut morſus, nec vulnera curās.
Tum demum finem belli, ſortemq; futuram
Agnouit, curſumq; tremens ad littora vertit

Inuitatq; ad aquas ſocios, augetq; timorem
At ranæ dant terga fugæ, Martēq; relinquunt,
Precipiteſq; cadunt altæ per deuia ripæ,
Protinus Hic cædes, & triſtia funera belli,
Mugituſq; fremens oritur, gemit Ebarus vdo
Pectore vulneribus geminis effoſſus. & acer
Carnellus lyricas nunq; rediturus ad vndas.
Cumq; Fela Romanus Aclas, fortiſq; Alamardus
Spirauere animam, nec ſe potuere tueri.
Nec te tam celeri iuuit leuitate Coloſſe
Delituiſſe lacu, ſenſiſti tæla ſub vndis,
Mixtaq; purpureo manauit limpha cruore
Ipſe autē optatum ſæuit Rodilardus in hoſtem
Precipitem, & patrios rumpentē pectore fluctus
Aggreditur ferro ſæuus, mediaſq; per vndas
Perſequitur Regē ſtagni, ranamq; natantem.
Eſt animus tentare lacus, imoſq; videre
Fluctus, & læte iam tum ſuccumbere morti.
It ſimilis fuluo per deuia rura leoni
Cum ſtimulante fame ceruā, perq; aſpera ſaxa
Inſequitur, iam iamq; tenēs p̄dam improbus audet
Precipitem ſeſe demittere rupibus altis,
Hoſtilemq; ſequi per ſumma pericula curſum.

Quem vero ut vidit Coccus, pro Iuppiter inquit,
Non ſat erat terris contendere: flumina tentat
Mus Rodilardus, aquis etiam ſe credidit audax.
Inſequiturq; furens per ſtagna liquentia Regem.
Flecte oculos pater huc, atq; auxiliare Croaco
Iuppiter, & noſtro tandem ſuccurre labori,
Si tibi cura lacus, ſi poſſunt numina, dixit.
Tum pater omnipotẽs caſum miſeratus aquarũ
Riſit, & ingenti tonitru perterruit orbem.
Contremuere omnes ſubita formidine mures.
Ipſe quoq; expauit medijs Rodilardus in vndis,
Et greſſum tulit ad ripas, paulumq; moratus
Hortatur ſocios, & prœlia dira retentat.
Miratur pugnas paruarũ animoſq; ferarum
Auxiliumq; parat miſeris cum coniuge ranis
Iuppiter, & denſo pulſarunt grandine terras.
Hi tecti galea, duroq; vmbone reſiſtunt.
Quin etiam fodere lares, & clara ſecundum.
Flumina diſpoſuere lares, arctaq; ſuperbi
Obſidione tenent victas in gurgite ranas.
Auſi etiam tentare nouis tum nauibus vndas,
In quæ facta cauum ſiccata cucurbita ventrem
Præbuit, hanc ſectam in partes fœcere carinas.

Contactu violaſſe lacus mea regna: deoſq;
Nec veritus ne ue arma humeris aptiſſima noſtris:
Quin age ſiſte gradum fluctus ꝓhibemus auitos,
Et ſecede lacu noſtros ſenſura lacertos
Bellua, ni veniam ſupplex in littore poſcas.
Dixit, & informes erexit ad æthera rictus,
Lataq; plus ſolito tumuerunt pectora regi.
Muſoleardus ad hæc, faſtus depone ſuperbos
Hoſpes ait, liceat gratos haurire liquores,
Et ſedare ſitim, triſtiq; reſiſtere morbo
Pace tua bone rex, neq; eñ turbauimus vndas;
Nec me degenerem viliq; ex ſanguine natum
Inuenies, haud iſta decent opprobria regem;
Nã mihi rex pater eſt opibus Rodilardus & aruis
Non adeo ſpernendus auiſq; & ſanguine diuum.
Ille Iouis magni genitum ſe prole fatetur.
Mater Hamadriadas inter formoſa puellas
Coniugio regis Rodilardi lege potita eſt.
Imperium nemoris ſiluas, ſaltuſq; tenemus;
Non ſocios, aut arma fero, qui triſtia bella
Improbus vſq; tuas veniam moturus ad vndas.
Sed mihi dum cupido venandi ſumma libido eſt,
Dum prædã ſequimur, ꝑq; alta cacumina curro,
Amiſi comites, & iam grauis æſtus eunti

Aeſtus erat, meq; interea ſitis arida feſſum
Occupat, aſpicio circum, & nemora omnia luſtro
Hos tandem ad fontes veni. ſi nomina quæris,
Virtutemq;, animoſq; & fortia pectora dicam.
Clara mihi nomen Oleardum facta dedere.
Nemo fuit melior grati explorator oliui,
Nec quiſq; leuior, nec qui magis audeat vrnæ
Fidere ſiue oleo caudam merſare liquenti.
Auſus quin etiam ſomnos turbare minutos
Cartillæ, vetulæq; minas contemnere ſolus.
Ardentemq; facem, & plenam aſportare lucernã.
Si pugnare iubes talpas, pictaſq; lacertas,
Atq; ſoporatos glires, querulaſq; Cicadas,
In turpem, timidamq; fugam ſine vulnere verti.
Sæpe etiam tortos orcho demiſimus angues.
Quis videor?: dixit, geminoq; in littore ſaltu
Emicuit, primaſq; ruit malecautus in vndas,
Vicinoq; cadens cruſtauit lumina limo.
Tum pater ille lacus verbis melioribus vſus
Hæc ait, & tenuit crepitantia pectora riſu.
Si tibi Rex genitor virtuſq; ita peruia bello,
Nec ſuperos mentiris auos Olearde, meorũ
In partem veni regnorum, & fœdera iunge.
Nos etiam de ſtirpe deum, de ſanguine natæ.

Tu ſuccede lacu noſtros viſure penates.
Cõmuneſq; habiture domos,populuſq; regemus
Cõmunes,eadem nobis vel ſtare voluptas
Ad ſalices,vel nare lacu,populoſq; tumentes
Frenare,atq; foro triſtes audire querelas.
Dixerat,hæc placido eſt tandem mus ore locutus.
O rex non eadem eſt ſtagni,terræq; poteſtas:
Nos ſoliti montes habitare,& mitia rura,
Vrbanaſue domos liquidis male namus in vndis.
Non herbæ virides nobis,vincoſaq; tellus,
Denſaq; arũdinibus placuere,vluæq; paluſtres.
Sed deſerta domus ruris,menſæq; relictæ,
Caſtaneæq; iuuant,fumoſoq; obuius igni
Caſeus,horrendiq; ſues pendentia terga,
Clamanteſq; nuces,& copia cara fabarum.
Vos habitate lacus,& amatis viuite in vndis.
Nos habeat fœlix tellus.inſignis oliuo
Iſmarus,& dulci Phaneia rura racemo.
Hic iterum liquidi ſtagni Rex rana Croacus
Incipit,atq; dolos tumido ſub pectore verſat.
Sic ais:haud quiſq; poſſedit latius alter
Iugera,nec me aliquis diuoꝝ munere vincet.
Eſt cõmune ſolum fateor,ſed cætera nobis
Debentur ſolis elementa potentia ranis.

Nam modo tellurem pedibus nunc aera plantis
Pulſamus, celeres, liquidis modo namus in vndis.
Et potero ſi ſtagna velim dimittere veſtros
Aequare hoſpicio reges, & rodere glandes.
Verum ꝙ melior cultus mihi viſus aquarum,
Aeterniq; lares, molliq; cubilia muſco.
Et dulces epulæ Driadum, menſæq; dearum.
Sed quid ago hæc: aut ꝗd tibi nūc incognita narrā
Si fas eſt ſpectare: licet ditiſſima regna
Viſere. ne ue time vitreas tranſire per vndas.
Ipſe ego te ad fluctus, atq; alta cubilia ducam.
Ipſæ ſubibo humeris, tu noſtris crinibus hære.
Dixit, & accubuit iuxta, tum credulus ille
Ignaruſq; doli, captuſq; cupidine rerum,
Deſilit in ranam, dorſoq; inſedit amico.
Gaudet equo, gaudetq; lacu ſtultiſſima proles
Regis agri & nemorū, mediiſq; exultat in vndis
Mus ſolitus muros, & robora dura videre.
Sed breue læticiæ ſpacium, triſtemq; dedere
Fata viam ad terras, gemitum, finemq; laborum.
Nam cum vix medias tetigiſſent gurgitis vndas
Deſeruit comitem fugiens, imoſq; petiuit
Rana lacus, ſubterq; latens ſubſedit harena,
Ille autem ignarus nandi fluctuſq; liquentis

Ter caput obiectans nullo adiutore per vndas
Merſit aquis, totiens ſuperas erexit ad auras
Infœlix, & cum potuit vix talia fatur.
Sic me crudeli ranarum peſſima læto
Demittis, nec te longæui ſceptra parentis?
Nec q ſim claro diuorum ſanguine natus?
Nec te dira mouet q amico fœdere prodis?
At ſtabile in liquidis quicq̃ ſperauimus vndis?
Iure quidem & merito, rupit ſub pectore vocem
Plurimus in miſeri veniens pręcordia fluctus.
Hinc illinc oculis latices metitur, & æquo
Tellurem ſpacio diſtare per omnia vidit.
Quid faciat cui ſe malit committere ripæ
Incertum eſt, latos vtroq̃ a littore fluctus,
Proſpicit infœlix, neq̃ enim ſperare ſalutem
Audebat, nec ſe tali committere pugnæ.
Tum demum ambiguæ decretum eſt credere ſorti
Remigium, & placuit tandem qua venerat ire.
Nat quantum miſer ille poteſt, pedibuſq̃ fluentis
Verberat, & cauda fruitur temone per vndas.
Heu nimis exiguo tenues in corpore vires.
Nare lacu natura negat, nec contulit vſus,
Paulatimq̃ cadit virtus, vireſq̃ relinquunt.
Tum vero exitium vitæ, finemq̃ laborum

Agnouit, morienſq; vadis hæc ædidit ore.
Et poteris cælare deos duriſſima tantum
Rana nefas? ſic me moribundum deſeris vndis?
Nec ſceleris nec te facti pudet? omnia tandem
Spectarunt ſuperi, nec ſic ſine vindice abibo,
At pugnare lacu, & patrijs confidere regnis
Perfida, non ſtabili mecum contendere terra
Cœſtibus, aut gladio potuiſti, ſiue paleſtra?
Qua nemo melius nouit iactare lacertos
Aut glomerare pedes, firmiſq; inſiſtere plantis.
Vix ea finierat, feſſos cum ſpiritus artus
Deſerit, & medijs iacuit reſupinus in vndis.
Viderat æquæui caſum Cicerettus amici
Amiſſus comes in ſiluis, tardeq; ſecutus
Non potuit dominum reuocare in fata ruentem,
Sed fugiens in tecta celer Rodilardia, feſſus
Narrabat miſero crudelia fata parenti,
Ranarũq; dolos, murem ſine honore iacentem,
Et gemitum liquidis nati morientis in vndis.
Tum rex exiliens ſolio, miſerabile ſedit
Mœſtus humi, manibus genua inter curua reuinctis
Deijcit & ſceptrum, & vulſam de fronte coronam
Infœlix, diuoſq; vocat ſine numine diros,
Inuiſoſq; dies vitæ, regnumq; nefandum.

At poſtq̃ longis impleuit queſtibus auras,
Et lamenta dedit nato funeſta, citari
Concilium iubet, & primos aſſiſtere mures.
Truncus erat medio nemorum vaſtiſſimus altæ
Caſtaneæ, quem forte cauum natura crearat,
Seu longa aſſurgens latebroſum fœcerat ætas.
Intus larga domus veterũ penetralia Regum,
Atriaq; & tutæ ſedes. hic regia magni
Muris erat, circumq; duces, & fida locarat
Agmina, ſerpentũ metuens, & nocte volantis
Inſidias volucris, violentarumq; ferarum,
Huc poſtq̃ miſeri vulgata eſt phama Tyranni
Vndiq; conueniunt mures, flentiq; gementes
Triſtantur regi, & caſum depromere poſcunt.
Tum pater infœlix Rodilardus, triſtia nati
Funera, deceptumq; dolo, fraudemq; malignam
Explicuit, tremuere omnes, luctumq; dedere,
Et triſtem domini caſum fleuere minantes.
Rex iterum fari, & tales exponere voces
Proſequitur. quis enim tantũ crudelia ciues
Funera natorum vidit: num certe ego vitam
Inuiſus duco ſuperis caſtæq; Mineruæ:
Siue mihi tales naſcenti fata dedere
Luctus, & culpas luimus fortaſſe parentum

Tris genui infœlix natos, quorum ille Faburnus
Primus erat, miserę patri ſpes vna ſenectæ.
Illum ſcitis enim longe defleuimus æuo
Ereptum inſidijs rabidi poſt horrea cati,
Alter erat puer ille meus male Pardulus vrbis
Incola, quem laqueo deceptum amiſimus eheu:
Sola ſuperfuerat ſoboles Oleardus auito
Succeſſura patri ſolio, & viſura nepotes.
Hunc monſtrum ſuperis inuiſum rana peremit,
Et nunc exanimum ſumma vehit alueus vnda.
O proceres ſi tæla hominum, ſi iure timemus
Idæam Antigonem, miluoſq; alteq; gementem
Aſcalaphum, catiq; minas, & dira Dragonum
Vulnera, cum ranis certe victoria noſtra eſt.
Quare agite obſcenos mecū contemnite fluctus.
Bellum ingens, bellum eſt ranis ſine fine gerendum.
Nos clipeos atq; arma humeris aptiſſima habemus
Tælaq;, nec deſunt animi, nec fortia bello
Pectora, nudæ illæ demum nec ſiſtere contra,
Nec poterunt acies noſtras vitare ſub vndis.
Dixerat ille gemens, cuncti aſſenſere frementes,
Bellum, iramq;, odiumq;, & mox crudelia iurant
Vulnera ranarum regi, populoq; natanti.
Talia dum vacuas iactantur verba per auras

Egreditur regina dolens quam mille gementem
Circum errant famulæ, & dominã clamore ſequũtur
Amiſſumq; vocant Oleardum, & pectora tundunt.
Impletur clamore domus, populiq; tumultu
Atria tota fremunt, belli furor omnibus idem,
Vlciſciq; nefas ranarum, ac dira minantur
Supplicia, & ferrum, Vulcaniaq; arma, cruceſq;.
Protinus armantur bello, duriſq; fabarum
Exuuijs texere feri deformia crura.
Et galeam fœcere nuces, & fulgidus enſis
Eſt acus, atq; vdæ clipeos fœcere lucernæ.
Tælaq; corripiunt hoſtes ſenſura tumentes
Ruſtica præbebant quos tum Magalia culmos.
At rex horribilis cati circum ilia pellem
Annectit, velatq; caput, totuſq; ſuperbo
Contegitur ſpolio templi cuſtode Mineruæ.
Catus erat cui dum viguere in corpore vires.
Cura fuit ſacra Triuiai virginis æde
Arcere infeſtos mures ac morte piare
Iniuriam, & ſacros tutari lampadis ignes.
In templo ſpolium fidi poſt fata miniſtri
Scilicet ob meriti precium dea grata locarat.
Tum demum inſidijs, violentiq; arte catelli
Ereptum ex aditis diuæ cenſura ferarum

CROACVS.

Ante fores ſtatuit magni pendere Tyranni.
Hoc toraca agitur tectus mauortius hæros
Egredit̃,ſtat mente ferox populoq; timendus
Incedit,latoſq; humeros vmbone fatigat.

## LIBER SECVNDVS INCIPIT.

p ROTINVS ad regē ſtagni Cicerectus aq̄ſi
Nuntius it,bellūq; ferens in limine primo
Aſtitit & tales demiſit pectore voces.
Siluarum rex,& nemorum Rodilardus & agri
Rex armis,belloq; potens,pro funere nati
Bellum,iramq; fremens indicit,& impia tandem
Supplicia obſcenis ſcelerato in gurgite ranis.
Atq; ego miſſus ad hoc pro tali crimine bellum
Indico,facioq;,& pœnam ſontibus addo.
Dixit,& innumeros haſtam iactauit in hoſtes.
At ſummo ſtetit illa lacu,nabatq; per vndas.
Omnibus audita eſt murmur ſententia ranis.
Obſtupuere metu perculſæ pectora,& imis
Delituere vadis pauidæ,ſenſitq; moueri
Rana lacus,& mox limo caput extulit ardens,
Auratoſq; humeros,& pictus pectora claro
Argento,cauſamq; fuge ſcitatur,at ille
Narrarunt,murem crudelia bella minantem.

Iactatumq́ʒ lacu iaculum, ſubitūq́ʒ timorem.
Tum rex ad ſeſe ferre violenta ferarum
Tela iubet, forteſq́ʒ duces in tecta vocari.
Ille autem nondū tute circum vndiq́ʒ vallant
Spicula quæ ſummo ranarum gurgite nabant.
Nulla tamen propius tælis accedere viſa eſt.
Sed circum timide longam cecinere querelam.
Sæpius & tenui vento fugere fluentem
Sic veluti accipitrem ſiluis cum forte volantes.
Stantē in p̄cipiti & prædam ſub roſtra tenentem
Cornices videre, ruunt, omneſq́ʒ viciſſim
Impleuere locos inſanis vocibus, ille
Ignauas contemnit aues, nec iurgia curat.
At ſi forte mouet ſeſe, vel in aera migrat
Diffugiunt, magnaſq́ʒ cient per inane quærelas.
Vt demum fragilem ſenſit ſine viribus haſtam.
Ventorū fluere ad nutum pro ſtagna Coroctus
Infœlix iuuenis triſtes ſenſurus honores,
Telaq́ʒ magnanimi Rodilardi, & vulnera regis.
Sic ait o ſocij, quæ nam dementia noſtra eſt?
Effugimus tælum imbelle & ſine viribus haſtam?
Aſpicite hanc tantum vento veniente moueri,
Deferriq́ʒ vadis, quare concurrite mecum
Vna omnes hodie ſtagno moriemur auito,

Aut murum inſidias,& tela minantia ranis
Corripiemus,ait.factoq; hic agmine in hoſtem,
Inq; acus inſiliunt,captumq; ad regia portant
Atria ,ſuccedunt proceres, vulguſq; natantum.
At rex intrepidus ſolio ſic orſus ab alto.
O proceres vidiſtis ait quæ nata ſuperbis
Muribus inuidia eſt: dudum temerarius ille
Qui iacet in medio reſupinus gurgite, noſtras
Aduenieus turbauit aquas, ſtagnoq; potiri
Tentabat,medioq; lacu componere ſedes.
Illum ego iactantem proauos,& magna loquentem
Arte mea domui, nunc & bellū acre minantur,
Et dira in noſtros torquent haſtilia fluctus,
Aſpicite en,dixit,tælumq; oſtendit acutum.
Contremuere omnes,raucoq; implere Croaci
Atria tota ſono,& crebris vlulatibus vndas
Acq; aliqui regem incuſant,qui fœdera rupit,
Immeritumq; neci murem dedit,vnde laborum
Prima dies,belliq; oritur mœſtiſſima cædes.
Ille deos homineſq; & ſtagna liquentia iurat
Inſontem ſceleris ſeſe,ſed murem Oleardum
Nare lacu voluiſſe,atq; inuidiſſe Croaco
Ignarumq; freti liquidi,fluctuſq; liquentis
Ingemuiſſe lacu,& vitam exalaſſe ſub vndis.

Tum demum vario miſcent murmure fluctus.
Sunt qui bella velint, & qui Rodilardia dicant
Arma timenda, & ſi fas ſit placanda vel auro,
Vel precibus, tum vel patrio reddenda ſepulchro
Membra Croacinas Oleardi victa per vndas.
At rex magnanimus ſic fatus murmura rupit.
O proceres audite oro, ſi bella timemus
Gentis Ruricolæ, paruarumq; arma ferarum
Pro ſcelus, heu cum quo nobis victoria ciues?
Aſt etiam timidæ fugiemus tæla Lacertæ,
Inuiſaſq; deis Cocleas, querulaſue Cicadas.
Mox ait, o magnæ ſoboles oblita parentis
Formidatis agri populos vilemq; falangem?
Quis poterit liquido mecum contendere fluctu?
Aut prohibebit aquas? & ſi tellure vocabunt
In bella, & clipeos & pectora lata timebunt.
Cognatoſq; deos pugiles ſperamus, & illos
Fautores operum, ſtagni belliq; recentis
At ſeruaturos communi ſanguine ranas,
Et nos alma parens magnorum enixa deorū eſt,
Nam cum ſe vitreis Cibele lauiſſet in vndis
Erupiſſe ferūt inguen, tepidumq; coiſſe
Per gelidos latices, & flumina clara cruorem,
Inge genus noſtrum, primæq; exordia gentis.

Nos de ſtirpe deum,& claro de ſanguine nate
Obſcenos mures mortaliaq; arma timemus?
Num clipei deerunt nobis? num tæla vel enſes?
Aut bello validę vires? atq; apta labori
Pectora? nunc ſtabuli mecum conſiſtite terra
Dixit.& in ſummo conſedit margine ripæ,
Hortaturq; duces,atq; arma capeſſere ſuadet.
Protinus arma humeris aptant,primuſq; Corocłus
Crura tegit folio viridis deformia betæ,
Circundatq; Framens latas circũ ilia frondes
Et capiti cocleam imponit,dextraq; trementem
Vibrat humi reſidens haſtam ſine pondere iuncũ
Sic Eradus,ſic ille facit laudator auerni
Craccus Oretiades dudum nece pulſus Alorchi
Iamq; ſenis,raucoq; auſi contendere cantu.
Inde aliæ Lerduſq; ſenex,viridiſq; Corodus,
Et glaucus Lericon,rufuſq; in terga Torocles,
Ethiopi iunctus ſociali fœdere Corbo.
Armantur Belleſilus,Coccuſq; ſuperbo
Sanguine Cerbontis,fluuioq; Aniene creati.
Toraſſiq; gener(ſinerent ſi fata)Molocrus,
Infœlix ſponſæ nunq; ſenſurus amores,
Et quondam duros auſus contemnere cancros
Eropilus,dum prima fuit viridiſq; iuuenta

Caudatuſq; Felas,& criſta toruus Iopes.
Ranarumq; aliæ quarum nec nomina nouit,
Nec numerum rex ipſe lacus,pubeſq; minorum.
Imploratq; alios latices,fluuioſq;,lacuſq;,
Auxiliumq; petit bello rex rana Croacus.
Protinus ad pugnam veniunt Valſunia pubes,
Et pontina cohors,quarum dux Ebarus illis,
His Baracus triſti ſuffectus corpora morbo,
Pallidus aſpectu,ſed fortis pectore,& armis.
Lucrino centum pedites duce forti Alamardo,
Et totidem mittit nemoroſus clanius Archo
Mittit & ad pugnas ingentem Fucinus iram
Bellantem populũ,atq; duces vmbone ſuperbos.
Auratum ſquamis Fialem,viridemq; Coloſſum.
Tercentum auxilio ducentes ordine ranas.
Ranas monticolas,& nullius arma timentes.
Poſtremo veniunt fluuiorum in prœlia turmæ,
Tum primum liricas læti duxere falanges
Carnellus,Foracuſq; duces,& fortis Arampus.
Hi tæla exacuunt,clipeoſq; & grandia late
Tegmina quæ dederat vicina cucurbita,læti
Diſponunt humeris,& longa haſtilia vibrant.
Vicinoq; parant armis ſuccurrere Regi.
Tercentum pulchris Sebetros mittit in armis

Et totidem bello pugiles Campana fluenta.
Decꝫ Tibri totidem veniunt aſſueta iuuentus.
Stare loco,Martemqꝫ fera committere pugna,
Albenteſqꝫ humeros crudeli opponere tælo.
Poſtqꝫ puentum eſt cognati ad limina regis,
Vna omnes veterem ſtagno cecinere querelam.
Mirantur vitreas immenſi gurgitis vndas,
Atqꝫ inſueta vident,& plus luceutia Tuſcis
Stagna vadis,Romana falanx, nec candida cunctis
Terga,ſed in varios melius diſtincta colores.
Interea per agros Rodilardi nuncius Icris
Mittitur, ille tubæ ſonitu nemora omnia terret.
Vicinaſqꝫ domos auium,talpaſqꝫ rumentes,
Linquere agros veteres,atqꝫ alta cubilia nidos.
Et ſiluas,altiſqꝫ iubet deſcendere mures
Montibus,& querulas armis extinguere ranas.
Protinus innumeræ gentes, populiqꝫ minores
Ingenti clamore ruunt,campoſqꝫ per omnes
Bella cient,optantqꝫ lacus,& dira minantur
Vulnera ranarum Regi,populoqꝫ gementi.
Hoſtibus,& vacuas feriunt mucronibus auras,
Examen veluti tactis præſepibus ingens
Exit,& in furias magno cum murmure fertur.
Nunc huc nunc illuc volitans,cœlũ omne fatigat.

Ac magis inuiſum quærendo ſæuit in hoſtem:
Vt venere pium luſtrant longo agmine regem,
Et genibus poſitis ingentia tecta ſalutant.
Protinus ipſe acies bello Rodilardus amicas.
Inſtruit,& dignos ſuperis metitur honores.
Innocuamq; parat triuiæ mactare lacertam
Virgineos auſam muros habitare Mineruæ.
Formicam cereri,cocleam tum deniq; Baccho
Vitibus & teneris hærentem cornibus vuis.
Fautoreſq; rogat bellorum,& talia fatur.
Dij quorum vigiles ingentia templa tenemus,
Turaq; ſolliciti legimus,vittaſq; mouemus
Semper, & ardentis luſtramus lampadis orbem,
Auxilio veſtris ſuccurrite muribus oro,
Cuſtodeſq; pij ſacrarum agnoſcite rerum.
Non bellum inuidia regniq; cupidine moui
Scitis enim,diro verum pro funere nati
Arma fero,nũc vos rectum decernite ,dixit.
Armatumq; vocat Cicerectũ, atq; agmina prima
Ducere in arma iubet,Martemq; inducere ranis.
Mox aliam Rotiro forti,claudoq; cohortem
Imperat educi,ſæuęq; reſiſtere pugnæ.
Tertia tum viſum eſt cõmittere prœlia Cullo.
Quartam aciem iuueni mandat parere catello.

Quo nulli melius penetrarunt horrea mures
Nec magis edoctus quiſq; ſub nocte furentem
Fallere montanum agricolam,& p̄uertere curſu.
At quintam gemini duxere in prœlia fratres
Rupinus pedibus velox,& corpore tardus
Conſilioq; tamen præſtans & viribus Azur.
Sextam ducit ouans pulchris Feracaſus in armis.
Molles caſeolos fumo ſubducere ſuetus,
Et tranſire leui ſentes,& vimina tactu.
Hoſtileſq; minas triſti contemnere fletu,
Hic etiam laqueo cum ruſtica facta videret,
Eſcam præripuit cautus,riſitq; magiſtrum.
Ergo armati omnes prodeunt,Martemq; minantur.
Poſtremo Rex ipſe alias in prœlia turmas
Sæuus agit,forteſq; duces in vulnera cogit.
Tum pater omnipotens magnos aſſiſtere diuos
Imperat,& tales emittit pectore voces.
O proceres,dolui cum primum repperit vſus
Armorum mortale genus,ferroq; cruorem
Audaces ſparſere viri,cædemq; dedere
Et timui( timuiſſe Iouem ſi dicere fas eſt)
Arte noua clipeos enſeſq; & grandia tæla
Inueniſſe viros,& duro corpora ferro
Ingenio texiſſe,meas paſſura ſagittas.

Mirabar ſtructas acies, fera facta virorum:
At nunc obſceni mures, ranæq; loquaces
Bella cient, atq; arma humeris, clipeoſq; ſiniſtris
Aptauere, tenent dextris vibrantibus haſtas.
Aſpicite en quo ſe ſtudio Rodilardus in hoſtem
Magnanimus, ſuaq; arma parat, quo pectore ranæ
Tæla tenent, primoq; expectant limine bellum.
Quare agite hinc mecum finem ſpectate laborum
Cui modo commiſſæ faueat victoria pugnæ,
Dixerat, hæc riſere omnes a vertice diui,
Et fragiles calamos, & tam deformia murum
Tegmina, ranarū clipeos, iuncoſq; paluſtres.
Tum deus illudens, caſtæ ſic blanda Mineruæ
Dicta dedit, non tu nunc bellanti Rodilardo
Nata faues: populoſq; tuos, tua templa colentes
Victores bello facies: pugnaq; iuuabis:
Naiades interea ranarū numina Nimphæ,
Fautrices aderunt, & tæla Croacia figent.
Ni tu nata tuæ tandem auxiliabere parti,
Aſpicies victas acies, ſtragemq; tuorum.
Tum virgo ſic orſa loqui eſt. ego muribus arma
Auxiliumq; feram genitor, qui pinguia thura,
Sertaq; diripiunt noſtris pendentia templis,
Infuſumq; bibunt ardenti lampade oliuum.

Quin etiam tenues vittas, pallamq; rigẽtem
Audaces roſere manu quæ ſtagmina fœci.
Nec contra hos querulas auſi conducere ranas.
Vtraq; progenies nobis inuiſa ferarum eſt.
Nam cum me bello feſſam, ſomnoq; viaq;
Acciperet Lerneus ager, lateq; ſub vmbra
Arboris optatę poſuiſſem languida membra.
Hæ longam triſti noctem fœcere querela,
Clamauere omnes & turbauere quietem.
Riſerunt ſuperi toto conuicia cœlo,
Iratamq; deam blando ſermone precati
Muribus, & fatuis orant ignoſcere ranis.
Et demum ad pugnas redeunt ſpectantq; ſilentes.

## LIBER TERTIVS INCIPIT.

p RIMVS in arma furens Cicerectus p̄lia tẽtat,
Magnanimuſq; audet bello appellare Croacũ
Hærentem ripis, & prælia prima negantem.
Nec ferus arma ducum, nec plebis vulnera vitat.
Incautumq; ferit ſquamoſo in pectore Graccum
Progenitum cumis patria qui cæde carebat.
Infœlicis aui ſtudio meliore canentis.
Fit ſtrepitus, & tela volant, ruit agmine toto
In mures armata acies, & prœlia miſcent.

Tum rex intrepidus Rotirũ Cullumq; potentem
Auxilio mittit ſocijs, additq; furentem
Dentibus & telis ſocia cum plebe catellum.
Hic bellatorem Eropilum primoq; repertum
Sauciat, & torua correptum ſtrangulat ira
Demittitq; neci Fialem, cui fœcerat auro
Squamoſum natura caput, rictuſq; decoros.
Inde ruit telis ſemper grauioribus audax
Obuius it, nunc dente ferit, nunc vulnerat haſta
Ecce trahunt pugiles effoſſum pectora ranæ
Murem Phippialem, captumq; ad littora cogunt.
Cunctantēq; premunt manibus, vi, vulnere, ferro,
Inuaduntq; fero ſallentes agmine ranas
Turbauitq; viam & ſeſe medio obtulit agro.
Aſpicit hoc miſeroq; parat ſi poſſit amico
Cullus opem, ſocioſq; furens ſic increpat ore.
O timidi patimur ranarum opprobria mures?
Iamdudum liquidis Oleardus nabat in vndis.
Et nunc Phippialem miſerum per deuia raptant,
Vicinoq; parant captiuum mergere fluctu
Ite oro mecumq; neci, vel demite murem,
Vel moriamur ait, factoq; hic fœdere cuncti
Proſiliere, ſimul ſtrepitum, ſtragemq; dedere.

Extemplo conuerſæ aties,omniſq; lacunæ
It populus,circũq; hoſtes glomerantur anhelos.
Flectuntur tæla in clipeos,ocreaſq; fabarum.
Duraq; monticolũ mirantur tegmina ranæ.
Bellantes,poſſuntq; fero ſe Marte tuentes
Impediunt numero,tanta eſt audacia ranis
Nec tumide morſus vitant,nec tæla,nec enſes,
Sub pedibuſq; tenent clipeos, hoſteſq; minantes.
Haud aliter catulos prope cum ſua pignora diræ
Latratu ſenſere ſues.vna vndiq; turbam
Inuadunt magno fremitu,& rumore tremendo:
Nunc illos paſſim rapiunt,& in aera iactant,
Nunc pedibus ,rictuq; caua tellure recondunt.
Diripiuntq; animas,& corpora feſſa trucidant.
Protinus armati miles Rupinus,& Azur,
Et Feracaſus ouans armis,turmæq; ſequentes
In Martem,cædemq; ruunt, aptantq; lacertos,
Inuaduntq; fero ſallentes agmine ranas.
Tum primi inſidias,iratiq; Azuris arma
Infœlix Lericon ſenſit,iuueniſq; Molocrus,
Nigrantemq; ferit geminis in pectore Corbum
Vulneribus,patuere iecur,ſuffectaq; nigro
Exta cruore,iacet medio reſupinus in agro

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Non tulit exitium, miſerandaq; fata Torocles
Ammiſſi ſocij, nec te ſine vindice, dixit
Corbe iacere putent mures. ego ſanguinis vltor
Vltor ero, dixitq; & tæla trementia iecit.
Quæ niſi ferrato velox Rupinus & armis
Acciperet clipeo ſuetus, certe Azuris illa
Hæſiſſet lateri, & vulnus lætale dediſſent.
Aſt ille hæc, & tu caro comes ibis amico
Improbe cum Corbo ſtigias ꝑperabis ad vndas.
Dixit, & ingenti traiecit pectora tælo.
Parte alia pereunt Baracus, Lerduſq; ſenecta
Debilis, & paſſus duo millia vulnera Silus.
Nec tantum duro pereunt certamine ranæ.
Occidit infœlix Cicerectus vulnere Cocci.
Currentemq; ferit clipeo deformis Arampus
Cullum animo inſignem, tum duro pectore tælum
Rumpitur, & rupta Feracaſum vulnerat haſta.
Hic magis aſſumptis ſæuis Mars impius armis.
Auditur fremitus belli, gemituſq; cadentum.
Et crudeles voces & furor armatorum.
Per iuga ceu canibus montana furentibus audit
Frendere apros, ſiluaſq; fero reſonare tumultu
Venator, miſtaſq; virum concurrere voces,

Latratuſq; canum prædęq; furentis hiatus
Tandem vbi defeſſas longo certamine ranas,
Amiſſoſq; duces ſenſit Rodilardus, in hoſtem
Ipſe ruit magna comitum vallante caterua.
Miratur populi turmas, atq; arma Croacus
Inſueta, & tollens oculos, pro Iuppiter inquit
Tantane ꝓgenies ſiluarum in montibus errat?
Dij ſuperi prohibete minas, Nimphæq; decoræ
Quas colimus, veſtriſq; hilares habitamus in vndis
Eripite hanc peſtem, & crudelia vulnera ranis.
Dixerat, inſiliunt omnes vno agmine mures.
Sæuior ante alios telo Rodilardus acuto
It, memorans cari crudelia funera nati,
Vltoremq; necis ſeſe per ſidera iurat,
Clamantemq; videt, mureſq; in bella vocantem.
Tectum armis, tectum folio viridante Coroctum,
Illum cum clipeo crudeli vulnerat haſta,
Spirantemq; animam ſicca defixit harena.
Mox Eradũ, fortemq; neci demittit Arampum,
Criſtatumq; ferit tumido ſub pectore Iopen.
Tela mouent iterum ranæ pugnęq; reſiſtunt.
Parte ab vtraq; cadunt mures Rupinus & Azur
Et Sapus & Lepadon pereunt, iuueniſq; catellus.

Lintea de lubro ſinuant direpta Dianæ
Quod fuerat media in ſilua ſub rupe vetuſtum
Et vittæ per aquas, atq; aurea vela feruntur.
At deus immites exire Croacia cancros
Stagna iubet, ſociaſq; lacu defendere ranas.
Illis dena pedum veſtigia, denaq; in arcus
Crura recuruantur, laterumq; a margine ludunt.
Ambiguumq; iter eſt, & deuius vſus eundi,
Inq; humeris erecti oculi, ceruicibus vllis
Non herent capita alta, latent ſub pectore dentes.
Monſtrum ingens, quo non aliud natura crearat
Deterius, viſuq; horrendum, & morſibus audax.
A dextra, leuaq; gradum nituntur, & æquo
Per terras auidi atq; vndas diſcrimine currunt.
Et dirum gemina minitantur forpice bellum.
Faucibus armati, & curua teſtudine tecti.
Non contra hos clipei murum, nec ſpicula pſunt.
Tæla quoq; in duro flectuntur inania dorſo.
Quin etiam ſuperant morſu, furit agmen aquarũ
In miſeros mures, foueiſq; inuenta trucidat
Agmina ruricolæ gentis, populoſq; latentes
Conuocat armatas acies Rodilardus, & illis
Hæc ait, o ciues pro ranis numina pugnant,

CROACVS

Aſpicite obſceni veniunt in prœlia Cancri.
Neſcio quis deus hos in vulnera noſtra fatigat,
Cedamus ſuperis, victi certamine diuum,
Inuiſiq; deis patrios redeamus ad agros.
Sic ait elachrymans, & prelia ſæua diremit.
Hæc luſiſſe ſat eſt properato carmine muſa,
Septima lux operi finem dedit, exue vultus
Mortales, quos hic mecum dignata puella es,
Atq; in pegaſeos iam diua relabere fontes.

FINIS

Argentorat. in Aedibus Schurerianis.
ANN. M. D. XI.

CONRADO DVNTZEN
HEMIO. II. DICTATO
RE ARGENTINEN.

REGNANTE CAESARE
MAXIMILIANO
P. F. AVG.

Cancri,
ſtra fatigat,
uum,
gros,
iremit,
ine muſa,
e vultus
puella es,
fontes,
reriants,

TZEN
TO
N,

ARE
O

BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg